

ejus approbemus, & in hypocritis incidamus, quæ pene nulla capitalior est in religionis negotio.

### XIII.

Prætexunt (3.) Syncretistæ, *λογομαχίαν* tantum esse, & de re ipsâ convenire, Spiritum sanctum operari in cordibus infantum; quam operationem fidem nominandam negent Calviniani, affirmant Lutherani.

### XIV.

Nos primò illud negamus, quod ad monstrandam *λογομαχίαν* supponunt, quasi de re ipsâ, h. e. de operatione Spiritus Sancti in cordibus infantum, inter nos & Calvinianos conveniat. Nam cum nos mediatam Spiritus S. operationem, baptismum pro organo *ἐνεργητικῶς* habentes statuamus; illi immediatam defendunt, & gratiam illam à baptismi influxu separant; atque hanc præterea non omnibus baptizatis infantibus communem faciunt, sed ad electos tantum restringunt.

### XV.

Deinde negamus, cum de motibus istis Spiritus Sancti in infantibus baptizatis disputatur, controversiam esse de solo Fidei nomine, quod iis aptandum velint Lutherani, nolint Calviniani. Nam de re ipsâ quæritur: An per Spiritus S. operationem in baptismo infantes eandem specie fidem cum adultis accipiant? hoc affirmamus orthodoxi, negant Calviniani.

### XVI.

Fallunt verò, dum objiciunt, nos, si formalem fidei infantum rationem Calviniani poscant, quid respondeamus, non satis certum atque exploratum habere. Nam rem cum rei modo confundunt. Si de re ipsâ quærent, h. e. de motibus spiritualibus à Spiritu S. per baptismum excitatis; certum apud nos & exploratum est, quid respondeamus, esse nimirum fiduciam apprehendentem meritum & satisfactionem Christi in baptismo oblatam. Si de modo rei, tum demum ingenuè respondemus, nos nescire.

### XVII.

Quæ Maresius (4.) ad Rintelenses & Marpurgenses, in doctrinâ de sanctitate infantum Christianorum ante baptismum, conciliandos in medium protulit, tanti non sunt, ut pluribus expendi mereantur, & solâ evolutione terminorum, in sensu vel orthodoxo, vel cacodoxo acceptorum evanescent.

